

## **Carta Foral de Soure. Transcripción**

[1] In Dei nomine.

[2] Placuit mihi comiti Henrico et uxori mee regis domni Alfonsi filie Tarasie vobis qui in Saurio estis maioribus et minoribus facere cartam firmitatis vobis et qui de vobis geniti fuerint morantibus in Saurio de stabilitate et foro atque servitio.a

[3] In primis ut non faciatis nobis unquam senaram, et de preda de fossato non detis nobis plus <quam> quintam partem et azaga duas partes vobis remaneant duas et de azaria nobis quintam partem vobis quatuor sine ulla alcaidaria.

[4] Si quis militum emerit vineam tributarii sit libera, et si acceperit in coniugium uxorem tributarii omnem hereditatem quam habuerit sit libera, et tributarius si potuerit esse miles habeat morem militum.

[5] Milites quot iugarios potuerint habere in sua hereditate quam habuerint intus Saurio et extra per villas et municiones habeant illos liberos in suo servicio et non introeat in eis rausum vel omicidium.

[6] Et si aliquis militum venerit in senectute ut non possit militare quandiu vixerit sit in honore militum.

[7] Si miles obierit uxor que remanserit sit honorata uti in diebus mariti sui nullusque eam vel filiam alicuius accipiant in coniugium sine voluntate sua suorumque parentum.

[8] Saion non eat domum alicuius sigillare sed si aliquis fecerit aliquid illicitum veniant in concilium et iudicetur recte, et si noluerit gratis recipere iudicium recipiat invitus.

[9] Iudices sint vobis ex naturalibus Saurii et sint positi sine offretione.

[10] Clerici Sauri habeant honorem militum in vineis et terris et domibus.

[11] Et si alicui militum obierit equus et non potuerit emere alterum nos dabimus ei, et si non dederimus stet honoratus donec posit habere unde emat.

[12] Pedites de ratione quam solebant dare de cibaria dent medietatem. De vino decimam partem et in lagaradiga almude sine offretione et iantar.

[13] De montaria non dent ulla condaria ad alcaide neque de caro neque depelle neque de melle vel cera.

[14] Nullus miles extraneus introeat domum alicuius sine voluntate domini sui.

[15] Si quis laborator habuerit ivicionem non faciat cum ea aliquod fiscum.

[16] Et si aliquis vestrum voluerit servire alio domino vel ire in alia terra habeat potestatem sue hereditatis habendi vendendi donandi.

[17] Sculcas omnes ponamus nos integras per totum annum et vos omnes arrotouas.

[18] Non detis vos de Saurio in nostro castello portaticum vel alcavalam [a]ut cibarium custodibus muri.

[19] Nunquam dabimus Saurium alicui per offretionem vel alcavalam.

[20] Facta firmitatis cartam mense Iunio Era M. C. XL. VIII..

[21] Nos Henricus et Tarasia et posteritas nostra vobis qui Saurio estis et progeniis vestris hoc scriptum roboramus.

[22] Et qui illum fregerit frangatur a Deo.

[23] Gondisalvus episcopus conf.

[24] Qui presentes fuerunt: Petrus Corrigia, Pelagius Suarri, Garsia Ennekiz, Egas Muniz, Suarius Venegas, Monio Venegas, Egas Spina, Gomeze Osoriz. In tempore Pelaici Menendi Venegas, Gomeze Muniz, Fafile Luci, Pelagii Pelagii, Egas Gondesindi.

[25] Et concilio de Monte Maior et de Saurio et scola commitis.

[26] Tellus presbiter notavit.